



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 35. Cardinalis Cornarus ad eligendum Pisanum quosdam sollicitans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

§. XXXV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.*Cardinalis Cornarus ad eligendum
Pisanum quosdam sollicitans.*

Præterea Cardinalis Cornarus, seu Cornelius Gallorum studiis addictus pro Pisano Patruo suo, qui Cæsareis adhærebat, suffragia colligere nitebatur; jactitabat tamen, se nulli hac sollicitatione sua præjudicio futurum, eoquod, inquiebat ipse, Pisanus Cardinalis potissimæ Gallorum factioni minus acceptus esset, proin una ex parte illum a Gallis nominandum nulla verosimilis suaderet ratio, ex altera vero parte, si saltem a Cæsareis nominaretur, æquius tolerare posset contemptum, quo per nefas a Gallis excluderetur, quapropter Cardinalium plures, qui Cornarum venerabantur, lubenti animo ejus postulatis cedebant: nuper tamen Cuvæ exemplo cautiores facti facile Cornari artes detegebant, unde eorum non pauci datam fidem revocabant: attamen adversa hac moliminis sui vicissitudine haud parum turbabatur Cornarus, cumque sese artificio, quo primitus plurimos Cardinales ad sua vota pertrahebat, jamjam victoriam reportasse existimasset, mox illos Cardinales, quorum suffragia sibi certa credebat, adibat, eosque datæ fidei, ac pollicitationis

Sæcul. XVI.
A. C. 1559. tionis nuper factæ memores esse jubebat, necnon illos summis precibus ad promissorum executionem urgebat: verum irrita erant illius molimina, quinimo ipse Pisanus Cardinalis, qui Cornarum Nepotem suum rerum experientia, agendi que ratione superabat, illum rogabat, ut a cæpto proposito desisteret, nec quicquam ultra hac in re moveret, cum de prospero conatus sui exitu conclamatum esse cerneret.

§. XXXVI.

Gallorum molimina de Turnonio Cardinale in Papam eligendo.

Interim Galli Turnonium Cardinalem ad Pontificatum evehere totis viribus nitebantur. Hic ad sacra comitia iturus, tum in itinere constitutus erat, atque aliunde omnibus iis præfulgebat dotibus, quibus inter suos æquales certe primas tenere credebatur: id tamen unicum Gallorum consiliis obesse videbatur, quod Itali vererentur, ne is, utpote natione Gallus Sancti Petri Cathedram rursus Avenionem transferret: hoc tamen ipsum obstaculum jam satis submoveri existimabant, si Turnonium ob raras animi sui prærogativas apud Franciæ Regem, a quo primus creabatur Minister, magnam nominis famam sibi conciliaffe jactitarent. Enimvero hæ